

474

Lib. III. Cap. X.

*Non & homo est rationalis & est bestia.  
Sed est rationalis. E.*

*Non est bestia.*

32. Definitur hic syllogismus copulativus, seorsim, ut excludatur sententia partim eorum, qui syllogismum copulativum referunt ad disiunctivum; partim aliorum, qui sub conditionali eum comprehendi statuunt, neutra enim harum opinionum admitti potest.

33. Qui ad disiunctivum referunt, hanc rationem adducunt, quod enunciatio copulativa negans, quae major esse solet in syllogismo copulativo, æquipolleat disiunctivæ affirmanti. Verum hoc ipsum est, quod negatur, Nam cum e. g. dico: *Non & animal est rationale & est leo*, vera est copulativa negans: disiunctiva autem affirmans, aut animal est rationale, aut est leo, est falsa: at verò enunciationum æquipollentium ea est ratio & natura, ut cum una vera est, altera quoque vera sit, quod cum non fiat in copulativâ neg. & disiunctivâ affirm. pro æquipollentibus haberi non possunt. Deinde in disiunctivis dux sunt figuræ. Argumentari enim licet à positione unius ad remotionem alterius, & à remotione unius ad alterius positionem: at verò in syllogismo copulativo una tantum est figura.

34. Quia verò copulativum syllogismum referunt